

EBBO VEL **EBO**

RHEMENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN EBBONEM.

(Flodoard., Hist. Eccl. Rhem.)

Vulgarior successit Ebo, vir industrius et liberalibus disciplinis eruditus, patria Transrhenensis ac Germanicus, imperatoris, ut fertur, Ludovici collectaneus, et conscholasticus, qui multis Ecclesiam curavit instruere commodis, et præcipue artificibus, quibus undecunque collectis sedes dedit, et beneficiis muneravit. Mancipia vel colonos quosdam Ecclesie desertores tam per seipsum, quam per Radulphum vicedominum et Ecclesie advocatum, apud iudices publicos legibus evindicatos et obtentos, ecclesiastico juri restituit. Quasdam quoque res Ecclesie, atque mancipia, cum aliquibus personis pro partium commoditate commutavit. Sed et imperialia super eisdem commutationibus præcepta obtinuit. Ab imperatore quoque Ludovico litteras ad Robertum Comitem pro ecclesiasticarum rerum defensione, quas quidam pervadere moliebantur, impetravit. Colonias vero nonnullas Ecclesie, descriptis per strenuos viros colonis eorumque serviitiis, ordinavit.

Hujus præsulis hortatu Halitgarius, Cameracensis episcopus, sex libellos de remediis peccatorum, et ordine vel iudicii poenitentiae conscripsit.

Hic Ebo præsul papam Stephanum cum Ludovico rege Rhemis suscepit.

Orta denique simultate inter patrem et filium, Ludovicum scilicet imperatorem et Lotharium, partibus filii favit, et cum cæteris episcopis corripuit imperatorem Ludovicum pro quibusdam erratis quæ ei obijciebantur, quando filii sui comprehenderunt eum, et Lotharius adduxit secum patrem ad Compendium palatum, ubi eum affixit cum episcopis et cæteris nonnullis primatibus, qui jusserunt ut in monasterium iret, et esset ibi cunctis diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Tunc omnes episcopi qui aderant molesti ei fuisse narrantur, et impropere illi peccata sua, abstulerunt ei gladium a femore suo, induentes eum cilicio.

Itaque postquam Ludovicus ab æquivoico filio C

A suo restitutus est in regnum et honorem suum, Ebo propter hujuscemodi factum depositus est ab episcopatu pro infidelitate imperatoris.

Igitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici imperatoris, qui contigit anno incarnationis Dominicæ 840. Quo imperatore defuncto, Lotharius ab Italia in Franciam venit: cui Ebo ad Wormatiam civitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies sedem et dioccesim Rhemensem per edictum imperiale restituit.

Cui restitutioni, quæ Suessionis habita est, contradixit synodus, asserens quod damnatus a se, atque a quadraginta tribus episcopis, a minori numero restitui non valuit. Quod edictum Rhemis Ebo secum detulit, et apud ipsos et plures illud diversæ professionis et ordinis divulgavit, et in ecclesia Rhemensi publice recitari fecit. Ita eo tempore, quo Lotharius Carolum a regno expulit, et ultra Sequanam fugavit, Ebo sedem Rhemensem post sex annos suæ depositionis recepit, et episcopale ministerium agere cœpit. Sicque ordinationes celebrans, quosdam clericos ordinavit, et per totum circiter annum hoc episcopium tenuit: donec Carolus, resumptis viribus, in Belgicam reversus est. Quod audiens Ebo, relicta sede Rhemensi, ad Lotharium profectus est, et in ejus familiaribus mansit obsequiis: donec una cum Drogone, Metensium præsulo, Romam petiit, ubi a Sergio papa reconciliari ac pallium sibi tribui postulavit. Cui idem papa, communionem tantum concessa, dare pallium renuit.

At Ebo Roma reversus, abbatiam Sancti Columbanii in Italia dono imperatoris Lotharii possedit, donec legationem in Græciam ab eodem imperatore sibi commissam exsequi detrectavit. Quocirca rebus sibi ab imperatore quæ datæ fuerant ablatis, ad Ludovicum regem Germaniæ demigravit. A quo in regione Saxonie quoddam episcopium promeruit: ubi et episcopali deinceps perfunctus est ministerio.

EPISTOLA EBBONIS AD HALITGARIUM.

(Vide Patrol., tom. CV, col. 651.)

CONFESSIO EBBONIS.

(Apud Flodoardum, ibid.)

Ego Ebo indignus episcopus, recognoscens fragilitatem meam et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aialfum videlicet archiepiscopum, et Badaradum episcopum, necnon et Modoinum episcopum, constitui mihi iudices delictorum meorum,

PATROL. CXVI.

D et puram ipsis confessionem dedi, quaerens remedium poenitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secreto ipsis confes-

tus sum. Eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alium succedendi et consecrandi subrogandique in loco meo qui digne præesse et prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indigne præfui. Et ut inde ultra nul-

lam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi. Ebo quondam episcopus subscripsi.

EBBONIS APOLOGETICUM.

(Apud Acherium, Spicil. tom. III.)

EBONIS Rhemensis archiepiscopi, sanctæ sedis apostolicæ legati pro conversione paganorum redemptioneque captivorum, ex consensu Ludovici Cæsaris, totiusque palatinæ dignitatis ejus directi, postea qui persecutionis tempore plurimorum episcoporum cæterorumque nobilium laicorum exsilia passorum, Rhemensi ab ecclesia pulsus, septennique custodia pressus, hinc succedente Lothario Augusto revocatus, publica ac auctoritate ecclesiastica restitutus, assistentibus vel decernentibus magnis consiliis pariter cum sanctis hic subscriptis catholicis præsulibus, Drogone archipalatino præsule, sanctaque unanimitate illi omnes isti concordēs, Autgarius archiepiscopus, Amalwinus archiepiscopus, Audax archiepiscopus, Hetti archiepiscopus, Joseph episcopus, Adalulfus episcopus, David episcopus, Hrodungus episcopus, Gislebertus episcopus, Herminus episcopus, Frotharius episcopus, Badaratus episcopus, Hagano episcopus, Hrotgarius episcopus, Ado episcopus, Samuel episcopus, Provocatus episcopus, Hrambertus episcopus, Rataldus..... Amalricus vocatus episcopus, cum cæteris plurimis presbyteris ac diaconibus, in Ingelenheim palatio publico assistentibus. His namque explicitis canonice restitutionis, palatinis summis negotiis, comprovincialium receptionis solemniter roborata VIII Idus Decembris existit principali in ecclesia et sancta sede Rhemensi, obviam ibi occurrentibus cunctis dioceseos præsulibus aut missis, cum concivibus inclytis, ecclesiastica aut publica necessitate vel utilitate promotis, quibus veniendi impossibilitas sola non restitit, generali conventu congratulantes, hanc subscriptionem publicam concordii unanimitate celebrata, priscorum Patrum exemplis edocti rationabiliter ediderunt.

Hæc ita scribendo omnes subternotati antistites unanimiter præfigentes sanxerunt.

Dum non habetur incognitum, quod a pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus, ac discordiis principum indignatione violenta, his temporibus agitata vexatur; unde et plurimi episcoporum vi propriis a sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus, diversis in partibus exsulantur. Inter quos etiam Ebo archiepiscopus Rhemensis ecclesiæ, raptus a propria sede, principum indignatione violenti exsilio ductus est. Unde et reductus sub custodia, ut periculum evaderet, et furores persequentium mitigaret, redimendo

tempus, ut meliori tempori se reservaret, cum consensu episcoporum pontificali secessit a ministerio, dum inter terrores et discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino: *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, etc. (Matth. v, 23.)* Postquam vero Deus Ecclesiæ suæ tranquilliora reddidit tempora, placuit principibus et magistratibus ecclesiasticis, ut isdem pastor ad debitum ovile reverteretur, et oves quas compulsus reliquerat, tuendas reciperet iterum.

Quibus et ecclesiasticis debitis negotiis ego Theodericus, Cameracensis episcopus, assensum canonice præbens: sicut prius de illius discessu compatiendo dolui, ita et modo de illius reversione congaudens, constitutiones has senilium vel fratrum roborando subscripsi; quia talia sæpe contigisse et in aliis ecclesiasticis gestis legi.

Hrodhadus Suessionensis episcopus hæc ita similiter roboravi.

Hildemannus Belvacensis similiter.

Symeon Laudunensis similiter.

Erpwinus Silvanectensis similiter.

Raginharius Ambianensis similiter.

Emmo Nomiomacensis similiter.

Folcwinus Taravanensis similiter.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei summi, glorioso imperante Ludovico Cæsare, cujus prima tempora regni quanquam valde coruscarent prospera, ultima tamen ejus concussa nimia adversitate divinam quasi indignationem illam passa, quam de novissimis temporibus vis semper terret evangelica, dicens: *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes (Matth. x, 21)*. Multi denique hinc potentes expulsi sunt a patria; episcopi quoque Dei, aliive ministri custodias et exsilia passi; quidam etiam utriusque sexus nobiles laici ad monasticum habitum compulsi, ut saltem his flagellis celeri castigatione compuncti, remedia salutis reciperent; quia quos blanda vitiaverat prosperitas, necesse erat ut dira purgaret adversitas, ne ad tartaream vindictam divina ultro sæveret majestas.

His etenim manifestis cognitis periculis, ego Rhemensis Ebo indignus episcopus, inter cæteros anxios tribus afflictus pressuris, id est, sublati robis omnibus, in ira vel custodia oppressus principis, insuper et fessus ægritudine corporis, sancto cum Paul-